

Obligatio Canonorum Aquensium, qua se ad congruam officiorum celebrationem, & ad separandam ex suis præbendis portionem residentibus distribuendam Episcopo suo obstringunt.

391

MCCCCLXXXVI.

In nomine Domini amen. Anno ejusdem Nativit. MCCCCLXXXVI., indict. IV., die vero XI. mensis octobris in sacristia Ecclesiæ Cathedralis Aquensis, 10 ibidem coram Rev. in Christo P. & D. D. Constantino Marengo Dei, & Apostolicæ sedis gratia Episcopo Aquensi, & Comite, sedente super quadam capsâ lignea posita in dictâ sacristia personaliter convocati, & constituti in capitulo dictæ Ecclesiæ & capituli infra scripti Domini Canonici ejusdem Ecclesiæ dictæ cathedralis citati, & moniti per Ven. Presbit. Jacobum Beccariam nuncium præfati Rev. D. D. Episcopi, & Com. Ven. D. Sigismondus de Sigismondis, Petrus de Ainardis decretorum Doctores Canonici, Tiburtius de Bullis Archipresbiter, Petrus Nicol. de Bullis, Joannes de Sigismondis, Jacobus Marencus, Bartholomæus de Ainardis, Rinaldellus de Porta, & Bartholomæus de Zabreris etiam Canonici dictæ Ecclesiæ statuerunt . . . & promiserunt præfato Rev. D. D. Episc. & Com. quod de cetero, & pro tempore futuro missas, & divina officia diurna, & nocturna quæcumque celebrabunt in dictâ cathedrali Ecclesia, 30 prout tenentur, & quod in futurum servabunt, & executioni mandabunt constitutionem super hoc editam, & factam per Rev. D. D. Thomam Episcopum Aquensem, & Comitem scriptam manu quondam nob. Conradi Zabreris Not. publ., & dictæ sedis anno Nativitatis Domini MCCCCLV., indictione III., die IV. octobris. Quam quidem constitutionem ipsi præfati DD. Canonici, & Archipresbiter ratificarunt . . . & confirmant in omnibus suis clausulis, & capitulis, prout jacent ad litteram: & ulterius ipsi Canonici, & Archipresbiter convenerunt, & promiserunt præfato DD. Episcopo, & Comiti . . . quod infra dies XV. 40 consignabunt in scriptis Rev. D. D. Episcopo . . . per mensuram, sive per summam jornatarum omnes proprietates, & possessiones præbendatas, quas obtinent pro eorum canonicatibus in dictâ cathedrali Ecclesia Aquensi, & secundum illam summam, quæ æstimabitur per ipsos DD. Canonicos, & Capitulum convenerunt, & promiserunt solvere ipsi 50 DD. Canonici, & Archipresbiter, qui fuerint pro tempore absentes a dictâ Ecclesia, & sic mihi Notario infra scripto stipulanti, & recipienti nomine servientium, & servientium de tribus partibus duas partes fructuum percipiendorum ex dictis proprietatibus, & possessionibus præbendatis secundum formam, & tenorem dictæ constitutionis confirmatæ, & approbatæ, ut supra, aut duas partes pecuniarum extimationis præbendarum, quæ taxabuntur, & æstimabuntur per eos. De, & quibus omnibus, 60 & singulis . . . præf. Rev. DD. Episc., & Com., & DD. Canonici, Archipresbiter præceperunt, & rogaverunt per me Notarium infra scriptum

confici debere publicum instrumentum, præsentibus testibus vocatis, & rogatis Ven. Presbit. Jacobo Scuroto, & Antonio Balada civibus Aquensibus.

Litteræ Ill. D. Bonifacii March. Montisferrati remissionis locorum ultra Tanagrum Ill. D. Marchionis Saluciarum.

M C C C C X C.

392

Bonifacius Marchio Montisferrati &c. Proximis annis, & eo tempore, quo Marchionatus Saluciarum bello, quod illi indixerat Illustrissimus D. Carolus Dux Sabaudia nepos noster premebatur, nos, quibus bellum ipsum molestissimum erat eo potissimum, quod eas inter personas ageretur, quibus multiplici affinitatis vinculo adstringimur, quique pro pace inter eas componenda omnibus nervis allaboravimus, ex iis locis, quæ a nobis in feudum tenet Ill., & Excell. Nepos noster amantissimus D. Ludovicus Marchio Saluciarum, ad manus nostras accepimus loca infra scripta cum suis juribus, & homagio nobilium, & hominum fidelitatibus eo animo, ut loca ipsa, & eorum jura, & accolæ a belli calamitate conservatas præfato Ill. Nepoti nostro cum Gallia redisset, restitueremus. Nunc autem, cum favente altissimo ipse Ill. Nepos noster Dominus Marchio Saluciarum a Galliis redierit, & proprium affecutus fuerit statum, medioque spectabilis viri, & juris consulti insignis D. Francisci Cavacia consiliarii sui sub fide credentialium litterarum a nobis requisiverit dictorum locorum, & jurium ipsorum remissionem, & restitutionem, nos ejusdem Principis, & Ill. Nepotis nostri requisitionibus annuentes, vobis spectabili juris utriusque Doctore D. Francisco de Grossis, cujus fidem, & prudentiam experti sumus, mandamus quatenus ad loca prædicta vos transferatis, & ibidem auctoritate nostra in manibus præfati Ill. Nepotis nostri Domini Marchionis Saluciarum, seu ejus cujuslibet legitimi nuncii, & mandatarii loca ipsa relaxetis, & remittatis: faciatisque, quod juramento fidelitatis, quod nobis, seu nostro mandatario tam nobiles, quam castellani, & homines prædictorum locorum præstiterunt non obstante, nobiles ipsi castellani, & homines pareant, & obediant, ac juramentum fidelitatis præstent præfato illustri Nepoti nostro, ac denique ipsum illustrem nepotem nostrum, ac nobiles & homines in eo reponatis gradu, & statu, in quibus erant ante quam loca ipsa, & jura ipsorum ad nostras manus caperemus, quos etiam & nos per præsentem reponimus, & restituimus tenenda sub solitis feudo, & fidelitatis juramento nobisque debitis, & præstitis. In quorum fidem, & testimonium præsentem nostras litteras fieri jussimus, & sigilli nostri impressione muniri. Dat. Casali die VI. septembris MCCCCXC. locus sigilli.

Signatus Joannes Secretarius.

In fine chartæ hæc annotabantur: loca, & castra, de quibus supra sunt hæc; Doliani, Belvedere, Bonivini, Montisbarcarii, Marsalia, Vifoni, Castiglioni, Rodini. Fuit hæc ex archivio S. Ufi fascic. 3. n. 17. ab humanissimo viro de Levis descripta, mihi que tradita.